



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. de forma postulationis, ejúsque effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

indignæ temerè ab illis factam, & à superiore ob vitium personæ reprobam, repetunt *c. gratum 2. h. t.* (quia, qui concessa sibi potestate abutitur, meretur ea privari) ita ut ad eos, qui in postulationem indigni, aut revocationem postulationis reprobam non consenserunt, sed expressè contradixerunt, licet numero pauciores sint; imò etiam si unus tantum innocens super sit (cùm in uno collegii jura conserventur) pro hac vice devolvatur jus eligendi, aut postulandi, prout colligitur etiam ex *c. bona 23. & ex c. clem Vintonensis 25. de electione.*

§. VI.

De forma Postulationis, ejusque effectu.

Quamvis tutius sit, ut in postulatione solemni forma Scrutini, & aliæ solemnitates ad electionem à jure requisitæ observentur, absolutè tamen necessarium non est, eò ipsò enim, quòd per electionem ab electo admissam jus aliquod contra electores acquiratur, non autem per postulationem, consequenter major cautela necessaria est, in illa, quàm in hac. Reprobantur autem à jure expressè illæ formæ postulationis, quæ sub formis ambiguis fiunt v. g. *eligo postulando; vel postulo eligendo, vel eligo postulandum;* aut

postulo in eligendo; vel denique eligo, & postulo prout melius de jure valere potest c. uni. h. t. in 6. (cùm tales formæ incertitudinem, & obscuritatem contineant, & ex illis colligi clarè non possit, utrum postulatio fiat, an electio, neque enim, qui eligi debet, postulari potest, aut qui postulari debet, eligi potest) nisi probabile dubium sit de Canonico impedimento, quo in casu, sub ea formæ *eligo & postulo, prout melius de jure valere potest:* postulatio fieri potest, prout *exrelato c. uni.* habetur, ita tamen, ut taliter electus & postulatus determinare debeat, utrum electionis, an postulationis viam prosequi velit, & non possit ab una ad alteram variare, cum præjudicio tertii juxta regul. 21. in 6. Effectus autem postulationis solemnis præcipuus est, quod postquam ea à superiore admissa fuit, vim habeat electionis confirmatæ, ita ut postulatus admissus jus omnè consequatur, perinde ac si esset electus, confirmatus, & aliâ confirmatione non indigeat, ut licitè, & validè administret. Simplicis verò postulationis, sive non solemnæ, ille effectus est, ut obtentâ licentiâ superioris eligi ille possit, vel electus confirmari, si ante obtentam licentiâ postulatus fuit, quod fieri posse concedunt communiter.

TITULUS VI.

DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

SECTIO I.

§. I.

De Electione in genere, & Electoribus.

Quid sit Electio, & quomodo ab aliis modis providendi Ecclesia differat?

G 3

Electio